Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

t quantitate si eorum esset propter contraria suscipere timat esse. ita quoque in relatiuis nec de contrarietate considerat utrum relatiuorum sit propterea contraria posse suscipere. Et quoniam uirtus uitia utraque habitus. Vitus enim est mentis affectio in bona parte difficile commutabilis. Et uitium affectio in mala parte ipsa quoque immobilis diuturnitate perdurans. Quoniam quoque uitium uirtus habitus omnis autem habitus adaliquid esse monstratur esse. habilis enim rei habitus est. erit uirtus uitium relatiua. Sed hec contraria sunt. Igitur relatiua contraria suscipere non recusant. Sed dicat quisquid causse est ut uirtutem atque uitium ipsumque habitum paulo post inter qualitates numeret. Et quoniam alia significatione una re diuersis supponi generibus nichil prohibet. Socrates namque in eo quod est socrates substantia est. In eo uero quod pater et filius adaliquid. Ita ad aliud atque aliud ducta predicatione eandem rem sub diuerso genere poni nichil prohibet. Habitus quoque uirtus uitium eodem modo sunt. Potest enim in qualitate poni habitus quod ex ea qualis homines nuncupamur. Habentes enim decorum aliquem rei habitum retinentes. Virtus quoque qualitas est uecirco quod ex ea boni homines dicuntur. et secundum illam qualitatem. i. secundum bonitatem qualis. i. bonos homines nuncupamus. Similiter autem et uitium. Ipse quoque habitus ad aliam predicationem dictus sit uterum relatiuus. Quod enim habilis rei habitus est adaliquid est. Et quod alicui uirtus est adaliquid uirtus est. Et quod alicui uitium est adaliquid quoque ipsum est. Ergo nichil impedit easdem res ad aliud atque aliud uersas diuersis predicationibus substitui. Ipsum uero adaliquid preter ullum aliud predicamentum intelligere non possumus ut patrem filium et seruum et dominum secundum substantiam considerantes. Ha et quoniam dominus quoque seruus est substantia est. Duplum et triplum secundum quantitatem. Hec enim in quantitate consistunt. Scientia uero et insciencia secundum qualitatem. Secundum enim has qualitates dicimur scientes atque insciti. Quocirca quoniam preter aliud predicamentum per se relatiua nullum intelligitur secundum ea relatiua predicamenta de quibus intelligitur relatio secundum ea dicitur contraria posse suscipere. ut socrates ipse quidem substantia est. Si substantia contrarium non recipit. Pater uero atque filius secundum substantiam predicatur. Homo enim pater atque filius in substantia sit. Quocirca quoniam secundum substantiam dicitur contrariorum